TENTAMEN MEDICUM INAUGURALE, DE EPILEPSIA;

QUOD,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Sub moderamine viri admodum reverendi

JOANNIS EWING, S.T.P.

UNIVERSITATIS PENSYLVANIENSIS PRÆFECTI;

NEC NON

EX CURATORUM AUCTORITATE CLARISSIMORUM

Et nobilissimæ FACULTATIS MEDICÆ decreto,

PRO GRADU DOCTORATUS,

SUMMISQ: IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS, RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,

Eruditorum Examini subjecit

HENRICUS COLESBERRY,

DELAVARIENSIS.

SOCIETAT: MED: AMERIC: ETIAM PHILAD: SODALIS.

AD DIEM 2 MAII, HORA LOCOQUE SOLITIS.

WILMINGTONII:

APUD BRYNBERG ET ANDREWS

M,DCC,XCII.

VIRO HONESTISSIMO

GEORGIO READ, L. L. D.

IN AUGUSTISSIMUM COLUMBIÆ SENATORUM ORDINEM

ELECTO,

INCOLIS CIVITATIS DELAVARIENSIS,

NEC NON

VIRO ERUDITISSIMO

JACOBO HUTCHINSON, M. D.

IN UNIVERSITATE PENSYLVANIENSI CHEMIÆ, PROFESSORI.

SODALI ETIAM COLLEGII MEDICORUM PHILADELPHIENSIS;

DENIQUE

VIRO ORNATISSIMO

NICOLAO WAY, M. D.

APUD WILMINGTONIUM OPPIDUM

QUI MIHI PRIMUS MEDICINÆ FONTES APERUIT:

HOC TENTAMEN

OMNI CULTU

INSCRIBIT DICATQ:

AUCTOR.

TENTAMEN MEDICUM
INAUGURALE
DE
EPILEPSIA.

LAUREAM appollineam mihi ambienti et almæ hujus academiæ legibus obtemperaturo, ita conſtitutis, ut nemini, ſummis in medicina honoribus potiri fas ſit, antequam aliquod ſui in hac ſcientia progreſſus ſpecimen in publicum ediderit, et inſuper cogitanti quid potiſſimum tractandum ſeligerem; pauca de Epilepſia diſſerere placuit: nec quidem hoc penſum aggredior, ſpe elatus lucem afferendi tali themati obſcuro, clariorem.

In hoc morbo inveſtigando obſervare neceſſe erit, fibrarum muſcularium contractiones, per voluntatem aut quaſdam alias cauſas naturales, excitari. Hæ contractiones in ſecunda et integra valetudine, vi et veloci-

tate ſua voluntatis motibus, vel his cauſis naturalibus, apte reſpondentibus, perficiuntur: et tunc fibrarum relaxatio ſequitur. Voluntate vel ſupradictis cauſis naturalibus denuo applicatis, in actionem iterum impelluntur. Ita eſt Conditio, in bona valetudine, functionum fibrarum muſcularium. Sed in adverſa valetudine, Contractiones, ex voluntate uſitatius orientes, quæque ſine impulſu voluntatis producuntur, inuſitatæ vel præternaturam accidentes nuncupantur.

In duo genera a Sauvage dividuntur; Primum eſt, ubi contractiones ſunt vehementiores ſolitis, et ſpontanea relaxatione non excipiuntur. Quum muſculorum adverſariorum actioni, aut ne virium externarum applicationi, non cedunt. Hoc ab illo dicitur Tonicus ſpaſmus ſeu ſpaſmus ſimplex, Tetanum et Triſmum complectens. Alterum eſt, ubi contractiones, quæ ſpontanea relaxatione excipiuntur, ſed ſine voluntatis impulſu, vel aliis naturalibus cauſis vi et velocitate violentiores quam in ſtatu ſano, rurſus iterantur. Hoc ab eodem dicitur ſpaſmus clonicus ſeu

Convulſiones.

Convulſiones. Sub hoc, morbus, de quo ſumus acturi, comprehenditur.

Violentia ejus acceſſus theorias multas de ejus origine formandi occaſionem dedit. Hippocrates, miſſum a Diis opinans, morbum ſacrum appellavit. Celſus et Galenus, ad magnitudinem ejus ſignificandam, morbum magnum aut Herculeum dixere. Ab aliis tum morbus caducus, quia capti cadunt, tum puerilis, quia infantes ſæpe aggreditur, dictus fuit.

Cavendum eſt medicis, cum diagnosin Epilepſiæ ſint edituri. Nam Sæpe accidit ut multi hunc morbum imitantes in ſinu gauderent medicos hac illorum ſpecie deceptum iri. Sed hac deceptio facillime detegi poteſt unguibus cutem vellicando, dum arteriæ pulſus explorantur. Tum ſimulantes ſigna doloris ſtatim mittunt; ſed vera Epilepſia affecti in ignem cecidere et ſine ſenſu doloris peruſti fuerunt. Illuſtris Boerhaavius Juvenis nobili genere, mentionem facit, qui, parentibus aliquod ei negantibus, hunc morbum imitare-

tur

tur; ſed ejus majore digito pedis igni ſemel admoto, et ſentiens,quod proximo paroxyſmo ignis ei iterum apponeretur, nunquam poſtea morbum imitatus eſt.

DEFINITIO.

Diverſas definitiones per Noſologiæ Scriptores oblatas invenimus; ſed pleræque, quia videntur ex theoria magis, quam ex Phenominis morbi deduci, mihi nonnihil diſplicent; ideoq: Culleni eruditiſſimi definitione valde exacta utar "Muſculorum convulſio cum ſopore.

DESCRIPTIO MORBI.

Epilepſia plerumque hoc modo ſeſe oſtendit, (id eſt) Tales, quales videntur eſſe ſani, per paroxyſmos aggreditur; deinde per aliquod temporis ſpatium perdurans, ægrotis laſſis et fatigatis relictis, abit, aliquando ſymptomata præcurſoria, eos, qui hos paroxysmos experti erant, præmonent. Quidam capitis vertiginem, et ante eorum oculos ſcintillas ſentiunt, et alii, ſicut illis videtur, ſonos inuſitatos audiunt. Sed plerumque ex improviſo occupantur ſine ullo

ullo præmonitu. Correptus eſt ſenſus omnis, et motus facultatis expers fit ſtatim; æger nam ſi ſit erectus cum convulſionibus humi proſternitur. In hac corporis poſitione, fronte et capillitio aliquando vehementer contractis, violentis convulſionibus agitatur.

Oculi ipſius torvi, et prominentes, ſub palpebris ex dimidio clauſis, magna velocitate videntur volvere. Horum convulſorum motuum effectus frequenter in muſculis ocularibus diutius permanent. Multi aſpectu diſtorto, vel unius oculi tota occluſione, ex ætatis tenellæ convulſionibus, affecti ſunt. Aliquando labia contracta ſurſum projiciuntur; deinde illis retractis, os maxime hiat et diſtorquitur ſub eodem tempore lingua tumida inter dentes prehenſa ſœpe graviter conſauciatur. Humor ſpumoſus per paroxyſmum ex ore emanat, et ex lingua morſa ſanguine mixtus, aſpectum horrendum, præbet. Ex ſtridore dentium, quod ſœpe fit, fruſta molarium interdum fracta ſunt. Truncus et extrema corporis multimodis agitantur; membra unius

lateris magis quam alterius, concutiuntur. Partes internæ, ut ex verminatione. vormitu, et exitu fæcum et urinæ involuntario patet, convulſionibus afficiuntur.

Pulſus et reſpiratio ſunt celeres et abnormes, ſed paroxyſmo peracto, tardiores et languidiores fiunt. Hæc ſunt præcipua Phenomina, quæ in paroxyſmo apparent, tamen in quibuſdam, et diverſis temporibus et in iisdem, inter ſe diſcrepantia.

Epilepſia teneram et mollem corporis fabricam et magnam ſenſibilitatem, vel irritabilitatem ſyſtematis nervoſi habentes, maxime invadit. Unde patet, cur Fœminæ, Infantes, et ii, qui manifeſta debilitate laborant, ei ſunt valde obnoxii. Dum robuſtus, labori duro aſſuetus, corpore firmo et valido, minime pertimeſceret, Puella molliter educata, minima re, in convulſiones injicitur. Hinc intellectum ſit, cur cauſæ quædam in aliis magnas perturbationes, in aliis, nullas, gignerent,.

Nulla

Nulla ætas hujus morbi immunis eſt, ſed tamen frequentiſſime infantiam occupat. Quia eo tempore minimi caſus fortuiti, quaſi tormina aut dentitio, convulſiones creant. Sed hæc debilitas gradatim decreſcens nobis magnas ſpes Infantium curandorum prœbet. Attamen difficillima eſt curatio Adultorum.

In diſſectionibus mortuorum, exoſtoſes inter cranium aliquando inventæ ſunt; et a De la Motte oſſeæ ſpiculæ piam matrem ſtimulantes. Sed ſœpe nihil huic morbo creando aptum cerni poſſit. Willeſius, multis craniis patefactis, declarat, ſe nullam hujus morbi cauſam ſenſilem potuiſſe invenire. In quibuſdam ſerum in cerebri ventriculis collectum detexit. Sed, Piſone conſulto, patebit, tales collectiones ſeri, in defunctis alieno morbo, et nunquam Epilepſia affectis, inventas eſſe.

Utcunque cadaverum inciſio ſit utilis in cauſis morborum detegendis, tamen cavendum eſt, ne ea, quæ nonnaturaliter apparent

in

in diffectione, pro caufis, loco effectuum, morbi, haberentur.

CAUSÆ REMOTÆ.

Hujus morbi caufas remotas in excitantes et Predifponentes dividere liceat. In nullo morbo talis divifio fit magis evidens. Sed tamen eft confitendum, effe caufas fatis valentes in hominibus diverfis fine ulla predifpofitione vel qualitate humanæ naturæ peculiari, quæ hunc morbum producere poffunt. Nihilominus hæc conditio pro prædifpofitione non poteft accipi, quia per eam, aliquid alii non vero alteri peculiare, fignificatur.

Sed antequam hæc duo caufarum genera considerare progredior, Excitantes pro earum modo operandi, qui effe videtur duplex, dividere neceffe eft. Eæ, quæ sicut Stimuli agentes, debilitatem indirectam inducunt, primum adveniunt. Sed quoniam effet longum univerfas animadvertere earum quæ maxime valent, fas fit mentionem faltem facere.

Quales

Quales ſunt, Exoſtoſes in interna Cranii ſuperficie, ejuſdemque fractura, Plethora, Ebrietas frequens, Venus immodica, meditatio profunda, affectus animi graves, Idearum Adultorum aſſociatio; in pueris, vermes, dentitio, et variolarum contagio. Sed ut Cranii cavitas ex natura plena eſt, et inciſione poſt mortem facta, oſſa inter ſeſe non poſſunt iterum facile aptari, ergo cranii depreſſiones cerebrum valde comprimere, atque Epilepſiam inducere neceſſe eſt.

Plethora nimiam ſanguinis quantitatem denotat. Et quoniam certa plenitudo vaſorum, ad eorum propriam tenſionem ſuſtinendam eſt neceſſaria, ſic quantitas nimis magna, ea, ad gradum laxitatis inducendum, nullam in fluidum contentum facultatem agendi poſſidentia, diſtentabit.

Nimius Veneris, Bacchiq: uſus ad hunc morbum gignendum aptus eſſe, ſatis notum.

Hic, obſervatu dignum, quod Epilepſiæ ſpecies eſt, ſed non frequens, quæ a Contagione oriri videtur. Hanc, ſi quiſquam, multis adſtantibus, morbo correptus ſit, omnibus preſentibus affectionem communicari periculum erit. Hujus ſpeciei exemplum memorabile apud Doctorem Kauu Boerhaavium inventum ſit.

Apud Noſocomium Haarlemenſe, tempore celebris Boerhaavi, pleris Infantibus in una domo affici hæc ſpecie morbi accidit. In uno orta, cæteros ex ordine proſtravit. Hoc facto ſingulari, ſummi Magiſtratus attentionem attrahenti, juſſum eſt, ut Doctor Boerhaavius Noſocomium adiret, et res ita ſe habentes ſigillatim ſcrutaretur. Profectus, nihil in eorum victu, ſed certos animi affectus eſſe cauſas, cito comperit. (Hæc a Doctore Ruſh Idearum Aſſociatio dicitur.)

Itaque hic, ad hanc impreſſionem, vel Idearum aſſociationem perdendam, juſſit, ut multa cauteria, formis diverſis, ad ignitionem calefa-

cerent

cerent. Interim ſingulis eorum ex igne depromptis, et ad genam ſuam uſque fere applicatis et illinc violenter avulſis, cum gravi et ſolemni vultu declarat, primus qui dehinc paroxysmo affectus eſſet, vagitu neglecto, ad os adureretur. Hoc evaſit efficax, nullo eorum poſthæc, talibus affectionibus, perturbato.

Hic morbus tam frequenter accidens ſæpius fingi exiſtimatur. Cullenus ait, in multis fuiſſe fictum et a vero alienum, ſe cognoviſſe. Frequentia ejus in pagis Auſtralibus, Imperatrix deceptionem ſuſpicans, imperavit, ut ii deinceps affecti, ſub moderamine De Haen ſubjicerentur. In ratione ſua medendi reperienda ſunt multa exempla curationis, affectos in aqua frigida ſubmergendo, perfectæ; unde malo finem impoſuit, et, (ut ab eo dicitur) Diabolum facillime abluit.

Manifeſtum eſt, multos poſſe per hanc aſſociationem Idearum, in Epilepſiam, quæ ex eorum inſenſibilitate eſſe vera monſtratur, ſeſe injicere.

Van Swieten, Puellæ mentionem facit in paroxysmos Epilepticos, ex ejus pedum plantis per Collusores titillatis, injectæ. Cumque titillata esset, vel alium titillatum spectans in paroxysmos statim abiit. Hoc factum sicut demonstratio extat, ex Idearum associatione pendeat. Hactenus igitur causas stimulantes, quæ hunc morbum producunt, observavimus.

Ad eas causas, quæ corporis incitationem imminuunt, nunc prodeamus. Hujus generis sunt Hæmorrhagiæ. Nihil, nunc temporis majus est notum, quam quod nullum Animal ex Sanguinis fluxu solo occiditur, nisi Epilepticé moritur. Exempla non desunt, ubi in constitutionibus peculiaribus, ex Hæmorrhagiis mors supervenit, et etiam ex Venæsectione solita, paroxysmi Epileptici.

Timor alicujus mali subito accidentis hoc modo agere existimatur. Quidam odores, in quaidam Idiosyncrases, singularem, facientes effectum (nam aliis Rosæ, aliis casei odor est

maxime

maxime ingratus) et putredo animalis hunc morbum ſæpiſſime genuerunt.

CAUSÆ PRÆDISPONENTES.

Cum multæ hujuſmodi cauſæ videntur eſſe tantum impreſſiones imbecillæ, ſed tamen ad hunc morbum excitandum ſat validæ, concluſum ſit, aliquid ſingulare in alio magis, quam in alio huic morbo prædiſponens, extitiſſe. Hoc in magna excitabilitate ex ſtamine, vel aliunde deducta, conſiſtere cenſeo. Scimus omnem vim moventem Æconomiæ animalis, et actionem ſingularis fibræ, ex habitu et repetitione, poſſe adaugeri. Hinc rationem intelligamus, cur Epilepſia ſæpe repetita, ex levioribus cauſis ſemper renovatur.

Hæc magna excitabilitas, quæ nobis videtur eſſe hujus morbi cauſa prædiſponens, debilitati totius corporis, et etiam conditioni Plethoricæ conjungitur.

Plethora laxitatem ſolidorum, itaque debilitatem fibrarum moventium, denotat. Nam ſecundum Cullenum, fibrarum contractilitas magis ex tenſione earum idonea ad incitationem propriam ſuſtinendam, quam ex vi inſita, pendet.

Epilepſia vel Idiopathica vel ſymptomatica exiſtimata fuit. Illa, quum ſit cerebri primaria affectio; hæc, cum ex ſpeciali aliarum partium conditione oriatur; Sed cur hæc diſtinctio? Nam certe omnes impreſſiones, ſicut ſtimulos, agentes, in principium incitationis, ideoque conſimili modo, operari neceſſe eſt. Hæc prædiſpoſitio, ut pars cauſæ proximæ, conſideretur. Nam ut ex debilitate pendet, et, niſi cum debilitate valenti, nunquam adeſt, ad hujus morbi cauſam proximam conſtituendam, eas intime conjungi neceſſe eſt.

Aura Epileptica, quæ ab auctoribus memoratur, pendet ex aliqua extremorum nervo-

rum

rum affectione topica, nobis ignota, vel cui patet nullus acceffus; ergo, non facile fanatur In hoc cafu, communicatio inter partem affectam, et reliquum corporis, per amputationem aut ligaturam delenda eft.

Hoc fæpe factum eft in Tetano et Trifmo, ubi in extremis, nervi laceratio accidit. Van Swieten fæminæ, quæ per duodecem annos Epilepfiæ obnoxia effet, cafum refert. Primo, omni menfe Paroxyfmo laborabat, fed poftea, ingravefcente morbo, quatuor vel quinque per idem tempus fingulis, horam vel longius perdurantibus, eam quotidie occupaverunt, et toto corpore occupato, penitus convulfa fuit. Medicus adftans paroxysmo urgenti, crure affectorum altero comparato, mullum difcrimen decernere potuit. Ille, fcalpello fortiter inferto, in vulnere, corpus durum cartilagineum pifo paulo majus, fupra nervum locatum, detexit; eo captato et extracto, affecta paroxysmo ftatim convaluit et per reliquum vitæ hoc morbo permanebat libera.

PROGNOSIS.

PROGNOSIS.

His variis causis rite perpensis, tot Judicemus esse curabiles, quot ex arte patet aditus. Exostosis intra cranium non potest curari, neque mutatio habitus in animali Æconomia diu fundati, facile facta sit. Et scisitari liceat, Quomodo nimia excitabilitas Infantum, sæpe ex vermibus, vel primarum viarum acido, convulsionibus affectorum, ullo negotio sit remota? Hinc non mirum videbitur, hunc morbum tam frequenter fuisse insanabilem. Effectus cujusvis medicaminis, ut utilis prœdicti, quanquam sæpe infeliciter adhibiti, nobis non dubitandus est. Quia Multi casus, qui ultra vim ullius singuli remedii procedunt, usum et auxilium variorum requirentes, non raro eveniunt. Quædam remedia, sed haud proprie in hoc morbo quasi specialia putabantur, attamen hæc fortasse, lougo; ex usu nimiam hanc excitabilitatem perdendo, utilia evadant.

RATIO MEDENDI.

Ex intellectu causarum remotarum, curationem hujus morbi pendere necesse est. Sed ubi hæ non possunt plane percipi, contra prædispositionem nostra tentamina tunc dirigenda sunt: ad hoc faciendum debilitas corporis, in qua hæc prædispositio niti cernetur, submovenda est.

Ad curationem producendam, causis remotis cognitis, id primum obtinendum est, eas caute evitando; nam manifestum est sine ea præcautione nullum fere successum posse expectari. Medicus Cullenus Virginis incredibili sensibilitate quoad sonitus impressionem, rationem reddit. Illa strepitum carri ducentos passus fortasse longius, quam, ullus alius, audiret. Sonitu campanæ ab eodem auditi ad aures aliorum pervenirent, etiamsi eorum capita per fenestram porrigerentur. Hujus inusitatæ sensibilitatis effectus erant Epileptici motus. Hic, nulla remedia, nisi causarum excitantium evitatio adhiberi possent; et, ut aliquid caperet commodi, rus abiit et a morbo liberata fuit.

Ad curationem efficiendam, varietatem harum impreſſionum, quæ homines in Syncopen, Hyſteriam et Epilepſiam terrore immittunt intelligi et caute evitari oportere.

Plethora, quæ cauſarum excitantium frequentiſſima existimatur, primum tolli,tum ejus recurſus prohiberi, debet. Exiſtentis Plethoræ removendæ modus eſt venæſectio, ſed non cogitandum eſt, hunc modum Plethorici ſtatus corrigendi, fore efficacem: Quia ſanguinis miſſio frequens Plethoræ inducendæ eſt causa, eique tantum morbidos effectus minitanti adhibenda.

Cucurbitulæ et Scarificatio ad removendam corporis Plethoram efficaces ſunt. Sed dignum eſt obſervatu, has evacuationes, utcunque in preſenti plenitudine, utiles ſint, ad prohibendos ejus recurſus, eſſe nullo modo efficaces. Hoc exequendum eſt, primo, tempeſtiva abſtinentia et exercitatione; quæ ad prævertendos Plethoræ recurſus, ſæpe efficaciſſimæ

caciſſimæ fiunt. Documentum hujuſmodi, apud medicum Cheyny videndum eſt, qui, medici Taylor ab hoc morbo, dieta lactea victitando liberati et per reliquum vitæ, ſani manentis, mentionem facit.

Fonticuli ad prævertendos Plethoræ recurſus reperti ſunt valde commodi. Per eos multum glutinis ex ſanguine ſejungitur et moles ejus magnopere imminuitur. Ita eorum poteſtas emaciens nobis explicanda, eſt: et patet, ad depellendam Plethoram, remedium preſtantiſſimum eſſe, precipue cum abſtinentia et exercitatione junctum.

Indicatio proxima eſt, hanc magnam corporis excitabilitatem corrigere: Quod, removendo corporis debilitatem, ex qua illa pendet, maxime conſequendum. Per Stimulantia et Tonica ex Vegetabili regno, Animali, vel Minerali comparata, hoc eſt exequendum. Et primum, multa remedia ex regno Vegetabili commendata fuerunt, et nullum magis, quam viſcum Quercinum. Hoc ſæpe adhibitum eſt, et ſpectatum per multos ut ſpeciale. Sed utcunque utile ſit vi ejus tonica, Culle-

nus ait, ut vel ſua experientia, vel aliorum medicinæ exercitatorum ejusfamiliarium, notiſſimam ejus efficaciam non diſceret. Qua de cauſa, nunc temporis, raro aut nunquam adhibetur.

Cortex Peruvianus magis proprie appellationem tonici merens, utilis in Epilepſia inventus eſt. Sed difficile eſt, caſus definitos in quibus ejus commodum ex uſu compertum fuit, cognoſcere. Quandocunque morbum temporibus præfinitis revertentem poſſumus obſervare, tum adhiberi tam prope acceſſum, quam poſſumus, oportet. Sed utcunque ſint validi ejus effectus nequaquam ſunt durabiles. Ideoque, quam maxime prope acceſſum, ſi non detur, frequentiſſime fallat. Et cum in uſum continuum per temporis ſpatium protrahitur, eum tonum, ad quem excitandum, arbitraremur eum aliter effectu ſuo præditum eſſe, perdere tendit.

Opii exhibitio in morbis ſimilibus, illius uſus in Epilepſia proprietatem commonſtrat. Ut validus Stimulus agens cum ſucceſſu adhibendum eſt. Morgagni in obſervationibus ejus

ejus, ait, in quibuſdam ei obnoxiis hunc morbum, cum lentiſſimo pulſu ingruentem, opio ſolo, ſanari. De Haen quoque narrat, quendam, hoc morbo ſub lucem dormiendo orto, vexatum hoc medicamine penitus curari. Eo adhibito quarta horæ parte, ante expectatum acceſſum, occurri, paroxyſmum Epilepticum ipſe vidi.

Oleum Animale vel Empyreumaticum Animalium per diſtillationes repetitas ad gradum volatilitatis et puritatis ſingularem, advectum, per annos multos præteritos, a Medicis peritis commendatum fuit. Sed ex difficultate faciendi et ſervandi (nam paululo aere admiſſo, ad ejus inertem priſtinam conditionem reducitur) in deſuetudinem fere abiit.

Moſchus ſatis probatus eſt a Culleno, non ſolum in hoc morbo, ſed etiam in Syncope et Hyſteria extare efficax.

Metallica Stimulantia, varietas quorum tentata eſt, duobus ſupradictis multo validiora

 videntur.

videntur. Arſenicum quoque, ſed quo fructu non poſſumus tamen dicere, uſurpatum fuit. Preparationes Stanni in Epilepſia laudatas eſſe vidimus. Sed natura earum labem periculoſam relinquit. Attamen nihilominus, haud dubito, quin illae efficaces repertae ſint. Si modus interne utendi Plumbo aut Stanno ſine effectibus eorum noxiis, poſſit inveniri, perſuaſum eſt, ea, cum commodo in Epilepſia adhibitum iri.

Cuprum eſt metallicorum Stimulantium celeberrimum et a nobis maxime creditum; variæ ejus præparariones commendatæ fuerunt. Cuprum Ammoniacum, e cupro et ſale neutrali compoſitum, eſt inter ejus præparationes mitiſſimas et ergo frequentiſſime uſurpatum.

Flores Zinci nuper maxime commendati ſunt. Et exempla in medicis Commentariis non deſunt, ubi Epilepſia hac methodo curationem accepit, poſtquam multa alia remedia fruſta tentata fuerant.

Balneum

Balneum frigidum merito numeratur inter remedia potentiſſima ad vigorem toti corpori reſtituendum. Hoc mirandum remedium novam vitam et vires toti corpori præbet, pulſum pleniorem et validiorem reddit, appetitum auget, concoctionem promovet, animum beatum et tranquillum efficit, et ergo in Epilepſia proprie adhibetur.

Muratione cæli, ab ævo Hippocratico Epilepſiam poſſe curari, obſervatum eſt. Hoc factum ſit aut per mare aut per terram. Rerum diverſitas, quæ attentionem animi attrahit per navigationem aut viam, eam aſſociationem Idearum ex qua hic morbus tam frequenter pendet, ſæpe diruit. Toti corpori robur et vires donat, eamq: permagnam excitabilitatem in hoc morbo tam valentem, ſuſtollit.

Catharticorum exhibitio conditiones corporis debet ſpctare. Sed quoniam ommes evacuationes ægroti vires attenuare tendunt, mitiſſima cathartica, quales Ol: Ricin: Sal: Glaub: &c. adhiberi debent.

Dieta.

Dieta. Ubi ex inanitate morbus pendet, ægrotus laute vivat, cujuſcunque generis cibum multum nutritionis continentem, capiat; Huic generoſi Bacchi poculum jungat. Sed ubi Plethora pollet, ægroto, ut ſupradictum eſt valde abſtinenter vivendum eſt. Omne genus cibi animalis vitet, et generi ei minimum nutritionis habenti, ad morbum ſanandum ſeſe aſſueſcat.

Opuſculo meo ad finem uſque perducto profeſſoribus hujus Univerſitatis vigentis, meas grates ardentiſſimas pro multis eorum beneficiis receptis offerre, reſtat. Cura et benevolentia, quas erga me exhibuerunt in mea memoria, animo grato, ſemper manebunt.

DIXI.